

Ferdinandi potestatem concederet, minime passuros, sed potius Turcæ tradituros, quo barbarorum classibus illic tutus receptus esset.

Nihil vero molestius, ac perniciosius Venetis contingere poterat; quam e Venetiarum prope portibus, a quibus Maranum octoginta tantum passuum millia distat, barbaram gentem cum classe cernere, quæ prædonibus admista, navigationum cursus interciperet, atque Adriaticum sinum non modo Venetorum, sed totius reipublicæ christianæ incommodo, ac detimento infestum haberet. Itaque ne malum latius serperet, gravissimis indictis poenis, sanxit Senatus, ne quis Venetarum ditionum oppidum ingrederetur, neu commeatus, aut subsidia importaret. Beltrandi patrem, atque uxorem custodiæ publicæ tradi jussit, ut hoc veluti pignore a perditis, & exitialibus consiliis revocaretur. Oppidanis haud exigua cum illorum utilitate rationem aliquam concordiæ iniri posse spem injecit, ne Ferdinandi apparatu deterriti barbaros introducerent. Atque cum per eos dies Ferdinandus Tridentinum Episcopum, qui navigia, ac milites ad Maranum recuperandum peteret, ad Senatum misisset, responsum est, oppidum ab eo recipi Senatum cupere; in id commeatus, atque iter per Reipublicæ fines ejus militi daturum; sperare absque armis ea de re decerni posse. Gallico vero oratori consilium a Senatu Francisci nomine petenti, neque de oppido, nisi eo consulto, Regem quidquam statuere velle affirmanti, Senatus dicendum censuit: eximiam Regis prudentiam alienis monitis non egere; verumtamen id consilium, quo publica pax, & quies servaretur, probaturum. Dum hæc fiunt, Germani præfecti uxor ad virum captivitate redimendum, ut pecuniam conquereret, profecta est. Beltrando cum illa egresso, qui Maranum occupaverant, oppidi aditum intercludunt, atque ad Lignani portum (abest is quindecim passuum millibus) munitionem erigere contendunt, quo sese recipere, ac prædas convehere tu-to possent. Rem indigne Senatus ferens eo statim Bernardum Sagredum ad opera demolienda misit, qui una cum Philippo Bragadeno, & militum manu, cui armorum ductor Julius ex Monte veteri imperabat, profectus, fabris, atque opificibus in fugam versis, tormentis munitiones disjecit, ac solo æqua-

Senatus de-
cretum in
eos, qui
subsidia
Maranensi-
bus ferreret.

Ferdinan-
dus Rex
Tridentinū
Episcopum
Venetas
mittit.

Maranensis
munitione a
Sagredo &
Bragadeno
disjecta.